



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

V. Vir & mulier non sunt vna caro, nisi per carnalem commixtionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

memorata[m] puellam, omni appellacione & contradic-  
tione cessante, in vxorem ducat: vel si commonitionem ve-  
stram contempserit, & eam in vxorem ducere noluerit,  
vel alter vestrum, si vterque interesse non potest, illum sub  
districcione anathematis mandatum nostrum adimplere  
compellat.

CAP. IV. *Idem Lucensi episcopo.*

Sane consuluit nos tua discretio, quid faciendum sit de  
muliere, quæ post mortem viri sui, vestibus preciosis ab-  
iectis, mutauit habitum, & de manu \* presbyteri velamen  
assumpsit, sed non renuntiauit propriis, nec intrauit clau-  
strum, nec in manu episcopi, aut abbatis, aut abbatissæ,  
vel super altare est professæ, vel obedientiam promisit:  
postmodum vero anno elapso, cum multorum inquietu-  
dines ferre non posset, & lapsum incontinentiæ formida-  
ret, abiecto religionis habitu, cuidam nobili sollemniter in  
facie ecclesiæ nupsit. Super hoc itaque consultationi tuæ  
taliter respondemus, quod sicut simplex votum matrimo-  
nium impedit contrahendum, sed non dirimit contra-  
ctum: ita sine professione & priorum renuntiatione,  
habitus susceptio, ne contrahatur, impedit; sed consum-  
matum nequaquam dissoluit.

CAP. V. *Idem Vintoniensi episcopo.*

Non sunt vna caro vir & mulier, nisi carnali copula  
cohæserint: idcirco sponsa defuncta intacta, eius soror  
sponso hoc non impediante, libere ducitur in vxorem.

CAP. VI. *Lucius tertius \* Capriano episcopo.*

Requisiuit a nobis fraternitas tua, qua censura mu-  
lier compelli debeat, quæ iurisiurandi religione neglecta,  
nubere renuit cui se nupturam interposito iuramento  
firmauit. Quæsiuisti etiam, si cuius vir matris torum pol-  
luit, ad alia vota, cum filios desideret, viro possit viuente  
transire. Ad quod breuiter respondemus, quod mulier  
quæ se nupturam iurauit, cum libera debeant esse matri-  
monia, monenda est potius, quam cogenda, maxime cum  
coactiones huiusmodi difficiles exitus soleant frequen-  
ter habere. Illa sane, cuius vir cum matre adulterium & in-

Mulierem  
quæ se nu-  
pturam iu-  
rauit, nube-  
re non co-  
gendam.